



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Alexius Conf. 17. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

17. Iulii.

VITÆ SANCTORVM.

351

que. Sed ille non fidens honoribus, DEIPARÆ Templum struxit, vivensque in hoc privatus invidiam sub VIRGINIS pallio impunè jam risit. Ex Ferrario.

Anima, quæ amat, ascendit frequenter & currit familiariter per plateas caelestis Ierusalem, visitando Patriarchas & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum & Confessorum, chorosq; Virginum speculando. S. Aug. Man. c. 24.

S. ALEXIUS CONF. 17. Iulii.

THEATRUM est Orbis, in quo sæpius malè multi divitem, sed bene pauperem egit ALEXIVS. Patrem Romæ habuit Euphemeanum senatorii Ordinis, Sponsam Regii sanguinis. Sed quâ nocte Hymenæus pedem thalamo inferebat, sponsum non reperit. Nempe noctis beneficio elapsus Edessam aufugit, ibique inter mendicabula tam diu latuit, dum ab effigie DEIPARÆ, ad cuius templum assiduus excubabat, est proditus. Tunc Romam rediit, & (quis credat?) in patriâ domo felicius personam dissimulavit. Hic cum è tantâ hereditate vix ultimum angulum ædium impetrasset, risit scilicet, cum domi se agentem quæri in alieno orbe videret, cum parentes se orbos, sponsa viduam se lamentarentur, cum utrique præsentem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim siccus suorum lacrimas, vivus suas exequias; appellabat patrem matremque, nec filius audiebat; basiabat servorum suorum manus & ab his servilia multa patiebatur, jam pugnis contusus, jam sordibus perfusus. Sed demum mors siparium reduxit. Vox etenim humanâ major Romanum & Pont & Imp. ad demortuum excivit. Ibi ALEXIVM prodiderunt vul-

vultus astro similis & literæ in manibus repertæ, quibus ipse fabulæ totius argumentum descripserat. Et placuisse fabulam Cælum ostendit, cum miraculis applausit, toties plausus repetiturum, quoties fabulam iuventus. *Ex Metaphr.*

Vis obtinero cælum, quod perdidit superbiens angelus, qui confusus est in virtute suâ, & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. S. Bern. serm. i. de Omn. SS.

S. SYMPHOROSA CUM VII. FF.
MM. 18. Iulii.

Reliquit Gerulius Mart. post se conjugem SYMPHOROSAM & VII. filios. Bonum factū! è tantâ familiâ neminem reperias degenerem. Scires illam Martyris uxorem, hos filios esse, qui sanguine tincta parentis vestigia fortiter insisterent. Ergo Adriano Imp. sistitur animosa cohors; & ecce mater ducit. Blanditiis, minis, tormentis omnibus pugnatur. Sed vincunt in filiis mater, in matre filii, dum ante oculos patris volat memoria, & Martem ejus, quem fundi viderant, sanguis accendit. Cumque mater in præterfluentem cum appendice saxo abjicienda esset, *Præeo*, clamabat, *filios ad victoriam mater. Si filii estis, ad patris dexteram & matris sinum etiam per tela & ignes curretis. Ecce morior; pulchra mortis heredes quos nisi filios dicam meos? Jamq; valete: ego mulier per undas portum peto. Si viri estis, per vulnera viam in cælum animo facietis.* Dixit & undis merfa, quò voluit, enatavit. Postridie fortissima turba iterum producitur, singulique ad palum ligati statuuntur, quasi verò in hac pugna tyrones & non veterani jam essent. Inde CRESCENTIVS ferro guttur, JULIANVS pectus, PRIMIVS